AUGUSTINUS. HIERONYMUS. MAMERTUS CLAUDIANUS. INDEX LIBRORUM
Mitte 12. Jh. Seite 34r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



obsecro te quom hec opinio defenditur qua creduntur anime non ex
illa una prima hominis fieri omnes sed sic illa una uni ita singulis
singulas. Ea uero que dicuntur alia contra hanc opinionem facile puto
me posse refellere sicuti est illud quo eam sibi quidam uidentur
urgere quomodo consummauerit deus omnia opera sua sexto die et sep
timo requieuerit si nouas adhuc animas creat. Quibus si dixerimus
quod ex euangelio insuper dicta epistola posuisti pater meus usque nunc operatur
respondent operatur dictum est institutas administrando non nouas
instituendo naturas. Ne scripture geneseos contra dicatur ubi aper
tissime legitur consummasse deum omnia opera sua. Nam quod scriptum
est eum requieuisse utique a creandis nouis creaturis intelligendum est
non a gubernandis quia tunc quod non erat fecit a quibus faciendis re
quieuit quia consummauerat omnia que ante quam essent uidit
esse facienda ut deinceps non ea que non erant sed ex his que iam erant
crearet et faceret quicquid faceret. Ita utrumque uerum esse monstratur
et quod dictum est requieuit ab operibus suis et quod dictum est usque nunc
operatur quo genesis non potest euangelio esse contraria. Verum his qui
hec ideo dicunt ne credatur deus modo deus sic illam unam nouas animas
que non erant facere sed ex illa una que iam erat eas creare uel ex
fonte aliquo siue thesauro quodam quem tunc fecit eas mittere fa
cile respondetur et illis sex diebus multa deum creasse ex his naturis
quas iam creauerat sic ex aquis alites et pisces ex terra autem arbores
fenum et animalia sed quod ea que non erant tunc fecerit manifestum est.
Nulla enim erat auis nullus piscis nulla ei arbor nullum animal.
Et bene intelligitur ab his creaturis requieuisse que non erant et
creata sed id est cessasse ne ultra que non erant crearentur. Sed nunc
quod dicitur animas a nescio quo fonte iam existentes mittere
nec de se ipso tamquam suas particulas inrorare nec de illa una
originaliter trahere nec pro delictis suis ante carnem commissis carneis
uinculis conpedire sed nouas creare singulas singulis suam cuique
nascenti non aliquid facere dicitur quod ante non fecerat. Iam enim